



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 267. Vespere autem Sabbathi quæ lucescit in prima Sabbathi. v. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

sepulchrum; ne inde vel furto tolli vel exire ipse possis, ego verò credo omnipotentiam tuam & amore tui illectus aliter cupio te in sepulchro manere, nempe cordis mei, & rogo te piissime ne inde vel exire velis vel cogaris, ideo studebo munire omni custodia cor meum, & undique vallare virtutibus, Tu succurre, tu iuua, tu da gratiam adhæc obsecro, vt nunquam cor meum vel deserere velis vel elongari ab ipso Deus meus.

§. 266. *Signantes lapidem cum custodibus. v. 66.*

Vt igitur nulla remaneret suspitio vel occasio suffurandi corpus Iesu siue per milites custodientes, siue per discipulos Christi, ad mōtum lapidem grandē ad ostium monumenti sigillo ciuitatis vel senatus & manibus quidem proprijs munierunt, & apposuerunt custodiam militum præcipientes vt vigilarent diu noctuque nec permitterent vlli accessum.

Cæci! sicine putatis infringere potestatem & virtutem diuinam, vt lapide sigillato non possit operari quando voluerit? dixit ille & facta sunt omnia, dixit fiat lux & facta est, fiat firmamentum & stellæ, & omnes creaturarum species, & factæ sunt ad verbum eius, & non creditis, quod ad verbum eius, aut voluntatem solum hic lapis resulter, & locum dabit creatori suo resurgenti; aut non creditis illum, per quem omnia sunt, non habere virtutem se excitandi à morte? in cuius ergo virtute excitauit Lazarum quadriduanum & iam fœtentem? potuit ipse in alio exercere suam virtutem, in se non poterit? Erratis, nonne dixit tertia die resurgam, ad quid ergo custodiam ponitis, & lapide sigillato impedire conamini eius resurrectionem; nolite in eum finem sic eum custodire, male etenim sic custoditis, & contra omnia potentem frustra laboratis.

Bone Iesu malitiose te custodire cupiunt Iudæi, ego sincero mentis affectu cupio te & bene custodire in sepulchro cordis mei primum præsentem per gratiam iustificantem, deinde specialissimè per Sanctæ Eucharistiæ participationem, denique per gloriæ concessionem post hanc vitam, quis mihi dabit tale sigillum & gratiam vt semel positum in corde meo sic te custodiam, vt inde exire non possis; sed maneat æternum? Nemo Domine nisi tu qui solus potes: pone ergo te vt signaculum super cor meum.

RESURRECTIO DOMINI N. I.

Christi secundum Matthæum.

§. 267. *Vespere autem Sabbathi que lucefcit in prima Sabbathi. v. 1.*

Quid Euangelista per tempus vesperearum Sabbathi indicare voluit? nisi quod vespere Sabbathi hoc est iam præterito Sabbatho Paschalis festi,

festi, quod nil operari nequidem lugere solemniter licebat, aut emere &c. inceperint statim piæ illæ matronæ se præparare ad visitandum Christi sepulchrum unaquæque iuxta fidem suam, & amoris erga Dominum perfectionem: nam aliquæ excellentiori fide prædita uti B. V. Maria, & uti ex textu apparet, Maria illa Magdalena, de qua VII. dæmonia eiecerat olim Dominus, certæ de Resurrectione nulla aromata appararunt; aliæ vero ad unguendum, quem putauerant, uti cæteros mortales defunctum, aromata compararunt, ut sic statim mane sequente post Sabbatum duplex, seu post Sabbata (nam & hebdomadarium eodem die Sabbatum fuerat, & simul Paschæ solemnitas) venientes non vacuæ, vngerent Iesum casu quo daretur accessus ad corpus. ô fides! ô amor! ô diligentia Deo grauißima, & multis modis sed diuersis iuxta perfectionem diuersam remuneranda!

A Manuiffime Iesu quod illæ piæ Matronæ intenderunt & fecerunt, da & mihi hanc gratiam obsecro ut & ego spiritualiter idem intendam & faciam hoc vespere Sabbathi scilicet quamdiu in his mundi tenebris vector, antequam lucefcatur prima dies Sabbathi æterni siue lucifer ille æternus oriatur fac ut me præparem sedulo comparâdo varia virtutum aromata ne vacuus operum bonorum ad te accedam te sole lucefcente in die resurrectionis, ut & tunc bonus odor appaream ante te, exemplo, vita, moribus in quibus hæcenus (cheu prò pudor & dolor!) comparando parum laboraui.

§. 268. *Venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. v. 1.*

Quid igitur factum est isto vespere, sequente magnum illud sabbatum? primò duæ fide excellentissimæ personæ inducuntur vna peccatrix olim & obnoxia Dæmoni, altera plane libera à peccato & iugo Diaboli: Maria scilicet Magdalene, & altera Maria de quibus narrat Matthæus, quod venerint mane videre sepulchrum. Pulcherrime, videre sepulchrum ut fides harum indicet quæ veniunt, non ad unguendum sed videndum, euacuatum potius quam obfirmatum monumentum, pulcherrime etiam mulieres inducuntur, ne si Viri primo venissent, ab his furatum corpus suspicio probabilis posset suboriri. quam ob causam autem dicat Evangelista in singulari numero, venit, cum tamen duæ venerint, & sero siue vespere, mysterio non caret Theologico, ut propter quam, tamquam peccatricem erat mortuus, propter eandem etiam resurgere indicaretur, & sero venit ad veniam, que maturè cucurrerat ad culpam, contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem.

Quis